et accepit murum hierusalem per circuitum destruxit. et cunctis chaldeorum qui erant cum magistro militum. De pauperibus autem populi et de reliquo vulgo quod remanserat in ciuitate et de fugitiis qui ceciderant fugerant ad regem babilonis et cetero populo deportauit dominus. Tulit autem eos nabuzardan princeps militum. De pauperibus uero terre reliquit nabuzardan princeps militum in uineis et in agricolas. Columnas quoque aereas quae erant in domo domini et bases et mare aeneum quod erat in domo domini contriuerunt chaldei et tulerunt omne aes eorum in babilonem. Et leuetes et cultros et psalteria et fiales et mortariola et omnia uasa aerea quibus in ministerio fuerant tulerunt. Et thuribula et phialas et pelues et candelabra et mortariola et crateras quoque quoque aureas aureas et quoque quoque argenteas argenteas tulit magistri militum. Columnas duas et mare unum. Vitulos duodecim aereos qui erant subbasibus quas fecerat rex salomon in domo domini. Non erat pondus aeris omnium uasorum horum. De columnis autem decem et octo cubitorum erat altitudo unius columnae et funiculus duodecim cubitorum circumdabat eam. Porro capitellum aereum quod erat super columnam altitudo capitelli unius quinque cubitorum. Et retiaculum et malagranata nonagintae et sic de pendentia omnia malagranata centum retiaculis circumdabantur. Et tulit magistri militum sacerdotem primum. et sophoniam sacerdotem secundum. et tres custodes uestibuli. et de ciuitate tulit eunuchum unum qui erat praepositus super

uiros belli septem. et scribam principem militiae qui probabat ciues. et sexaginta uiros de populo terre qui inuentus est in medio ciuitatis. Tulit autem eos nabuzardan princeps militum et adduxit eos ad regem babilonis in reblatha. percussitque eos rex babilonis et interfecit eos in reblatha in terra emath. Et ablatus est iuda de terra sua. Iste est populus quem tulit nabuchodonosor. In anno septimo iudeos tulit milia et triginta tres. In anno octauo decimo nabuchodonosor de hierusalem animas octingentas et triginta duas. In anno uicesimo tertio nabuchodonosor tulit nabuzardan princeps militum iudeos animas septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animae quae factae sunt milia sexcentae.

Factum est autem in tricesimo septimo anno transmigrationis iouachin regis iudae duodecimo mense uicesima quinta mensis. Euilmerodach rex babilonis ipso anno regni sui eleuauit capud iouachin regis iudae. et eduxit eum de domo carceris. et locutus est cum eo bona. Et posuit thronum eius super thronos regum qui erant cum eo in babilone. et mutauit uestimenta carceris eius. et comedebat panem coram eo semper cunctis diebus uitae suae. et cibaria eius cibaria perpetua dabantur ei a rege babilonis. singulis diebus usque ad diem mortis suae cunctis diebus uitae eius.

INCIPIT LIBER BARVCH

Haec uerba libri quae scribsit baruch filius neri filii masiae. et filii sedeciae filii sedi. filii helciae in babilonem. In anno quinto in septima mensis in tempore quo ceperunt chaldei hierusalem et incenderunt eam igni. et legit baruch uerba libri huius in aures